



ORATIO

IOANNIS CAESARII CONSENTINI DE LAVDIBVS Philosophiæ in publico gymnasio habita IIII. Nonas Nouemb.

ROMAE.

1555.



TSI mihi compertum erat hoc in veteri consuetudine maiorũq; instituto positum esse, vt publici Doctores, qui per aliquot mẽses operam suam intermiserũt, certo tempore ad suum redeant munus, ac dicendi facultatem profitentes de re aliqua non inutili sint orationem habituri, mihi tamen Auditores ornatiss. per multos dies certum fuit habendæ orationis laborem subterfugere, & alicuius autoris expositionem simpliciter aggredi. Difficile enim esse arbitrabar, sæpe eorum iudicia subire, qui, tanq̃ Attici, teretes, & religiosas habent aures, & natura cõparatum esse putabã, vt vis animi non semper eadẽ existat, quod ex antiquorum monumentis facile cognoscimus: Viri enim in dicendo præstantissimi, in quorũ labris suada sessitabat, interdum satis expectationi facere non potuerunt, & Poetæ, quorũ scripta nostris temporibus non sine maxima legũtur admiratione, non semper eundem aucupati sunt rumorẽ, nec similem plausum excitarunt. Quocirca cũ hæc mecum reputassem, constitui primum non tanq̃ orator, cuius nomen nec agnosco nec postulo, sed tãquam autorum interpres ad hũc altiorẽ locum ascẽdere: postea verò q̃ iusto examine rem perpendi, & ea quæ consideranda essent circũspexi, mutaui consiliũ, timoreq; deposito, volui solitam suscipere prouĩciam, ac aliquid mihi ad dicendũ libenti animo proponere: licet enim mearum virium imbecillitatẽ ple

runcq; sim expertus, ac probè norim, quam graue sit unum à multis audiri, tamẽ ut meis auditoribus gratum faciam, qui pro sua in me beneuolentia, fortasse nimis auidè noui aliquid expectãt, & vt sedulò meo fungar munere, turpe est .n. desidiæ maculam concipere, officii mei potius habendam esse rationem existimaui, q; gloriolæ, quæ magna ex parte fit minor, cum cõcitatam expectationem tueri ac sustinere nõ possumus. Itaq; cum philosophicũ Cice. opusculũ hoc anno sim expositurus, dicam nonnulla de philosophiæ laudibus, non ut hãc plena manu cõmẽdem nam longo verborum circuitu opus esset, si quæ meritò differẽda forent, fuse lateq; nunc enarrarem, sed ut ea, quæ philosophiæ tribuẽda sunt, breui comprehẽdã, & quæ pars eius sit magis expetẽda, liquido ac apertè ostendam. Omnis philosophia, cuius duo fuerunt olim genera, quorum alterum Ionicum, alterũ Italicum est appellatum, adeo est vtilis & necessaria, ut non sine diuino numine à mortalibus inuenta, & literis consignata sit, nam quicquid animo cõcipitur & cogitatione depingitur, quicquid ante oculos uersatur, verè sciri & intelligi non potest, nisi ex vberrimo philosophiæ fonte ratio ipsa prudẽter hauriatur. Prisci mortales, qui versabantur in tenebris, cum nõdum lux orta esset, quæ caliginem omnẽ postea discussit, quam Dei Opt. Max. notitiam habuissent, nisi philosophi admiratione affecti cœli cõuersionem suspexissent: quam nullo pacto fieri posse existimarunt, nisi spiritus inesset, qui cuncta suo nutu moue=

ri iubeat, qui rebus omnibus præsit, qui hanc mundi descriptionem conseruet, qui generi humano præsideat, vt nihil fortuito contingat, cunctaqꝫ certa lege, certoqꝫ ordine dispensentur. Itaqꝫ Thales Milesius omni laude cumulatus est, qui primus fuit (vt nonnulli perhibent) naturalia perscrutatus, cœpitqꝫ aliis viam aperire, vt aditu patefacto posteri vltra progrederentur, hinc variæ philosophorum sectæ olim extiterunt, quas commemorare mihi superuacaneum videtur, nihil enim magnum ab vno unqꝫ perfici potuit, nihilqꝫ est quod se totum repẽte profuderit: inuenta sunt quædã primordia, quibus ab aliis per eandẽ semitã iter habentibus addita sunt ea, tempore progrediẽte, quæ ad rei perfectionẽ spectare videbãtur: cum.n. naturæ cognationẽ, cõcẽtum, cõsensũqꝫ (quam sympathian Græci vocãt) animaduertissent, vnamqꝫ esse materiam primã & cõmunẽ considerassent, multasqꝫ alias (vt ita loquar) propĩquiores, quæ certis rebus producendis accõmodatæ sunt, principia, ex quibus omnia gignũtur intellexerunt, illa in quã principia, quorũ duo quidẽ sunt cõtraria, forma & priuatio, tertiũ est materia, omni .n. mutationi id cõmune est, vt duobus cõtrariis cõficiatur, & tertia aliqua natura sit, quæ se se illis subiiciat, & effingendam tradat, sidera quoqꝫ suspicientes, eorúmque ortum & occasum, non solum cœlestes globos, & quo motu illi conuertantur, inuenerunt, sed etiam quanto spatio distet circulus à circulo, quanóque interuallo vnumquodque sidus à sole recedat,

huius

huius philosophiæ, quæ siderum spatia, & cursus metitur inuētionem (vt Lucianus inquit) sibi Aethiopes uēdicant, Babylonii sibi asciscunt, Aegyptii multa se huic addidisse contendunt, nam dimensionis rationem iure suo sibi tribuunt Nili extra ripas diffluentis incrementum metientes: Phœnices etiam se multum hanc adiuuisse dicunt, nam numerandi artem, quæ astrologis est admodum necessaria mercaturæ dediti sibi assumūt. Græci qui à barbaris plura sane acceperunt, & lōge meliora suis politissimis scriptis reddiderunt, rem arctè tenent, & gloriam suam præfractè defendunt, nam multa etiam Poetæ apud illos fabulis suis, in quibus pulchra latet veritas, ingeniose inuoluerunt, quippe quæ rerum cœlestium cognitioni tribuenda sunt: fingunt enim aureū Arietē habuisse Thyestem, quia primus in cœlo arietē ostēdit: Atreus frater cum de sole varioq; eius ortu scienter locutus esset, ac non eodem ferri modo solem & mundum, sed contrario cursu inter se rapi ostendisset, rex una omniū consensione creatus est. Bellerophō fertur pegasum alatum equum habuisse, animo enim per cœlum errabat, & humi manens per sidera frequēti cogitatione vagabatur: possem equidē plura, quæ ad hāc sententiam pertinent, proferre, sed cō sulto prætermitto, ne sim nimius. Eò tandē res redacta est, vt astrologi cūcta rectè dimetientes, & astrorum naturam cognoscentes futura vaticinari audeāt & illa se præsentire affirment, quæ longo post tempore sunt euentura, de qua re multa sanè dicerem, si

temporis ratio postularet. Etenim puto soli Deo rerum futurarũ exitũ patere, multaqꝫ ab iis qui hoc philosophiæ genus profitẽtur prædici, quæ haud dubiè vanissima sunt, & somniis conferẽda. Quin etiam cũ veteres illi, quibusdã numeris & modis omnia, quæ sunt à natura producta, constare cognouissent, concẽtus, quibus animi nostri maximè afficiuntur, excogitarũt: Proinde harmonia Phrygia, Dorica, & Lydia inuenta est. Hæc musice, quam vetustissimũ philosophiæ genus appello, non solum ad capiendas voluptates fuit excogitata, sed etiã in sacris est antiquissimis temporibus vsurpata. longũ esset persequi, quot modis philosophia nostros excoluerit animos, inscitiam expulerit, qua nihil deterius homini contingere potest, & syluã rerũ omnium nobis abũde subministrauerit, nisi enim hæc fuisset dei concessu & munere inuẽta, ita omnia perplexa, & confusa essent, ut nihil veri nihilqꝫ certi percipi posset, animus huc & illuc vacillaret, ac rectum veritatis indagãdæ cursum ignorãs, nũqꝫ sanè conquiesceret: hæc est.n. illa quæ differẽdi subtilitatem cõtinet, quæ vera à falsis, quæ certa ab ambiguis distĩguit ac secernit, quæ maximã nobis de re aliqua dubitãtibus quietẽ afferre potest. Quid.n. iucundius, quid suauius est, qꝫ veritatis cognitio: in qua nihil sit repugnãs, nihil dissẽtaneũ, sed ita inter se omnia similia sint, & bene cohæreãt, vt nullus dubitationi locus relinquatur, nullusqꝫ in pectore scrupulus resideat, qui nos plerũqꝫ solicitos habet & moleste stimulat ac pũgit. Quid etiã grauitatis in

dicendo esset, nisi hæc omniũ artiũ procreatrix illa nos edoceret, quib. oratio fit arguta, varia, copiosa? Satisne est audire lusciniam bene canentẽ, qua possunt aures tãtum delectari? sentẽtiæ sunt illæ è sacro sancto philosophiæ sacrario erutæ, quæ sistunt & mouent auditores, ita vt verborum splendor non sit solũ perquirendus, nã si quis hortos habeat, per quos ederæ tãtum serpãt, & herbæ bene olentes pubescãt, oleæ verò cæteræq; fructuosæ arbores spectari non possint, laudarem illos loci amœnitate & viridissimo vestitu, sed nihil putarẽ inesse vtilitatis, vanamq; illã & irritam voluptatem nuncuparẽ: si verò vtlitas cũ loci pulchritudine coniuncta fuerit, quanti illi horti æstimabũtur? Quãobrem videri mirũ non debet, si Pericles ita grauis, & sentẽtiosus erat in dicẽdo, vt omnem Græciam permisceret, nam fuit Anaxagoræ physici discipulus, disserẽdi argutias callebat, quibus argumẽtis corroborare ac munire orationem suam deberet, non ignorabat, quo artis lenocinio influere in animos audientium posset, probè norat: Quid? si Demosthenes & Cicero nullam philosophiæ operã dedissent, in tanta laude versari, tantaq; gloria circũfluere potuissent? Hæc est illa præpotens & gloriosa dictorum & benefactorũ mater, quæ nos reddit eloquẽtes, quæ nõ iniuria donũ & inuentum Deorum appellatur, quicquid .n. artiũ, quicquid disciplinarũ habetur, huic nũq; satis pro dignitate laudatæ sine cõtrouersia debetur: qualis .n. poeta esset, nisi philosophicam veritatem poeticis cõmentis coloraret, &

naturā de qua loquitur philosophus imitaretur? quæ potuisset ferri leges nisi legūlatores ex huius magistræ sapientissimæ officina, quæ ad humanā vitā gubernādā attinent, accuratè deprōpsissent? quoquo se quispiā animo & cogitatione cōuertet, nihil sanè inueniet argute & subtiliter excogitatū, quod præclaræ disciplinarú parēti nō sit vna ōniū voce deferēdū, si hæc nō prodiisset in lucē, nōne terrestria tantū, & quæ corrūpi ac tabescere solent appeterētur? nihil altū nihil magnificū nostra mēs optaret, atq; ita corporis contagione pollueretur, ut fluxa dūtaxat & infirma cogitaret, ac humi defixa nūq; sursum oculos erigeret: Philosophia vero facit, vt animus seipsum colligat, vim suam exerceat, & frequēti recōditarum rerū cogitatione purior & acutior in dies fiat. Siquidem dū naturā, quæ cæcis integumētis omnia contexit, studiosè summaq; ope conatur intelligere, Deū mūdi architectū cōtēplatur, mētes illas beatas, quos Angelos appellamus comprehēdit, suaq; acie illa demum perscrutatur, quæ sine diuini numinis auxilio cognosci haud quaq; possunt. Itaq; ea sibi nota, & cōperta facit, quæ prius obscuritate inuoluta, & crassis circūfusa tenebris prorsus ignorabātur, ita vt omnem cogitādi nedū intelligēdi spē auferrent. Vates illi hebræi sapiētissimi, qui Theologiā præstātissimū philosophiæ genus edocebant diuino spiritu afflati, quātum in sublime ferri potuerunt? nōne in cœlum ipsum penetrarunt, ac de rebus diuinis locuti sunt, perinde quasi cernere oculis potuissent? Græci Latini-

niq;

niq; viri doctissimi, qui suæ vitæ probitate in diuorũ numero non sine Dei consilio reponuntur, quã pro pé ad Deum accesserunt? ita enim diuina disceptare visi sunt concitati quadam animorum inflãmatione, vt à Deo Opt. Max. verè illa edocti existimẽtur. qua re multos doctrina sua excitarunt, & impulerunt ad hanc pro viribus ediscẽdam philosophiam, quæ nos cum Deo immortali coniungit, & causa est, vt in terris adhuc versantes cœlestia loca perlustremus, hæc est enim peregrinatio, quæ verè nos delectat & sapiẽtiores reddit: facundus & sapiens vocatur Vlysses ab Homero, qui Ciconas feros vidit, Cimmerios solis expertes, Polyphemũ aduenarũ interfectorem, Circen veneficã mulierem, inferna loca, Scyllã, Charybdim, & Alcinoi hortos, faciamus hæc vera esse, ac plures peragrasse regiones, vt Iouis etiã Hammonis templũ aspexerit, pyramidas excelsas, Babylonem, Sardium fluuios, Troiana sepulchra, Indum, Gangẽ & alia quæ dicitur Hercules perlustrasse, qualis hæc est peregrinatio? plena ærũnarum, egestatis & ægritudinis, Sed quæ philosophus incolumi corpore in tuto portu consistens admiratur & spectat? animo suo vniuersam terrã percurrit, vniuersum mare trãsmittit, per vniuersum aera volitat, tellurẽ cũ sole circuit, cũ luna circũfertur, astrorũ choro cõiungitur, suaq; contemplatione cum beatis mentibus copulatur, ò peregrinationẽ beatã, ò pulchra spectacula. Itaq; non possum de Apollonio Rhodio nõ male sentire, qui philosophiam vituperabat, nõ possũ nõ

acerrimis maledictis Domitianũ insectari, qui philosophos expulit ex vrbe, impurissimus homo, scitũ illud Platonis, aut nesciebat aut temere improbabat, Remp. aut à philosophis esse administrãdã, aut principes debere philosophari. Quod absurda quædam & futilia sint à nõnullis iactata philosophis, philosophia non est repudianda, culpa.n. in homines perperam philosophantes transferri debet. Quocirca Pythagorã, qui vana quædã somniauit Samiis, Democritum cũ suis atomis abderitis relinquamus, Anaxagorã Clazomeniis, Heraclitũ Ephesiis, Epicurum qui palato suo deditus cœli palatum (vt ait Ennius) nũq̃ suspexit, cum suis diis monogrãmis valere iubeamus, & duo tantũ philosophiæ lumina Platonem & Aristotelẽ veneremur, qui aliorum errores diligẽter animaduerterunt, & ea conscribere conati sunt, quæ veritati magis consentanea iudicarunt, sed quia hi duo scientiarum principes præclari, homines fuerunt, & in errores labi nõnũq̃ potuerunt, si qua in illorum scriptis cõtinẽtur, quæ nõ probè excussa, nõ bene disceptata videantur, cogitare debetis, rerũ naturam adeo esse obscuram, & tenebricosam, vt licet multa sint ab his duobus sapientissimis viris ingeniosè ac scitè pertractata, nõnulla tamẽ, aut opinionis errore, aut cõmuni tẽporũ vitio nõ recte intelligantur. Quocirca tantum ex rebus naturalibus scire debemus, quantum perspicua & euidenti ratiõe cognosci, & probari potest. In cæteris vero, quæ antiquorũ animos ita distraxerunt, vt nõdum veritas eluceat,

on multum operæ & industriæ ponendũ est, ne vi
eamur more Andabatarũ cũ ipsa natura clausis (vt
unt) oculis pugnare. Studium vero ardens ad eam
hilosophiæ partem, quæ moralis à Cicerone appel
itur, cõferamus. Hæc est .n. illa (Theologiã sẽper ex
ipio) quæ principẽ põt sibi locũ vendicare, nã quã-
is rerũ omniũ cõparata sit cognitio, vt nihil propo
i ad disputandũ possit, de quo non satis doctè & pe
itè loqui valeamus, si prauas & indomitas coercere
upiditates nesciemus, quæ sæpe nos à recta semita
letorquent, multiplex illa cognitio quid proderit?
omnis philosophia, vt accepistis, admiratione nedũ
aude digna cẽsetur, sed illa quæ moralis nominatur,
ere salutaris dici debet, spinas.n. è pectore acutissi-
nas euellit, dolori, quo plerũq; præter modũ distine
i ac diuelli solemus, medetur, lætitiã exultãtem cõ-
primit, paupertatẽ toleranter ferendã persuadet, di-
iitias nõ ad immoderatas voluptates, sed ad honestã
vitæ cõmoditatem, & opem bonis ferendam cõparã
das docet. si huic Xerxes obtemperasset, nõ terrã au
dacter nauigasset, nõ mare victoriã sibi nequicquam
pollicens ambulasset, si huic Sybaritæ paruissent, nõ
ita fuissent molles & effœminati, si huic Philippus
fuisset obsecutus, Macedoniæ regno cõtentus Tribal
lis bellum nõ intulisset, si huic Alexander eius filius
morem gessisset, Democriti mundos non desideras-
set. Præclarum est enim subtiliter differere, naturalia
peruestigare, in mathematicis operam cõsumere, vt
animus variis artibus instructus perficiatur, sed lõge

pulchrior fiet, si ea, quæ ad vitam & mores pertinẽt, accesserint, ita.n. puri diuina cõtemplabimur, omnẽq; animi labem eluemus, virtutem alacri animo sequemur, quæ lucet in tenebris, & in tempestate quieta est, ac demũ corporibus elapsi ad cœleste domiciliũ cõmigrabimus. Quocirca carissimi auditores, cum sæpe mecũ cogitassem, quid hoc anno debeã interpretari, quo vestræ possim vtilitati consulere, qua nihil vnq̃ antiquius habui, decreui tandem sextũ Ciceronis librum de Rep. qui de somnio Scipionis inscribitur, omni cum diligentia vobis explicare, totus est .n. erutus ex intima philosophia, quæ vitiorum expultrix nũcupatur. Quàm belle nobiscũ ageretur, si quinq; alii libri, qui nõ sine maximo reip. detrimẽto perierunt, nostra tẽpestate legerentur? quæ documẽta, quæ vitæ præcepta disceremus? Hunc reliquũ quẽ deus nobis cõseruauit, foueamus, amplectamur & in oculis feramus, nihil .n. suauius, nihil vtilius legi potest. Equidẽ vt in solito me cõtineã officio, pro mea virili parte omnia diligenter explanabo, præsertim cũ nũc animo lõge prõptiore laborem sub eam, erigit enim me atq; omnes alios bonarum artium studiosos ad optimam rei bene gerẽdæ spem PAVLVS IIII. Pont. Max. doctiss. & verè sanctissimus, qui maximus est vitiorum vindex, & acerrimus virtutis propugnator. DIXI.

Error.

Fol. 4. pag. 1. vers. 24. dictorum, lege, benedictorum.

inēt,
mnę
ques
uieta
iciliū
cum
nters
ua ni
i Ci
nis in
totus
rum
etur,
rimē
ocu
liquū
amur
is le
,pro
ræter
eam,
ar
spem
sana
r, &






5